



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

V. Vtrùm auxilium sit excitans, seu in aliqua excitatione positum,
præfertim iuxta mentem Augustini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

in Scriptura nobis dicitur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, libertatis nostræ admonemur: nemo cum illo modo inuitatur, nisi qui in potestate sua habet & conuerti, & non conuerti. Nec dubitari potest, quin Concilium in toto illo capite generatim de gratia loquatur, quæ interdum sufficiens, interdum efficax esse potest, tum quia nisi gratiam efficacem comprehenderet, hæreticorum sententiæ, quam precipue refellere intendit, non opponeretur: tum quia non satis doceret conuersionem & dispositionem ad iustitiam esse liberam, quia illa conuersio non fit, nisi per gratiam efficacem: illud autem est contra intentionem eius, & contra verbum, ait enim per motionem illam gratiæ hominem non nihil omnino agere illam inspirationem recipiens, de illo ergo, qui aliquid agit in sua conuersione, iam habet gratiam efficacem. Sit ergo certissimum Concilium agere de tota motione gratiæ præuia, quæ non tantum necessaria est ad posse, sed etiam ad agere liberè, ac subinde gratiam efficacem præuiam includere. Et eodem modo idem definit in can. 4. cuius verba, & multa alia in sequenti capite, & infra contra prædeterminationem physicam amplius vrbegimus. Consentit cum hac definitione Concilium Senonen. in Decreto. fidei cap. 15. vbi efficacem gratiam dicit non tollere libertatem in actu, quia non tale est gratia trahentis auxilium, cui resisti non possit. censet ergo hanc libertatem esse à necessitate, & hanc non indecere auxilium efficax, quia potestatem resistendi relinquit.

16. Et ante Concilium Tridentinum indicauit hanc veritatem Concilium Araucanum, quatenus in can. 8. 15. & 25. docet liberum arbitrium per peccatum primi hominis fuisse infirmatum, inclinatum, & attenuatum, & ita læsum, ut sine gratia Dei nihil boni possit operari. Et ita tantum abest, ut per gratiam tolli dicat liberum arbitrium, ut potius reparari dicat: imò quatenus amissum fuit per peccatum, dicit per illum reddi, qui potuit illud dare. Dicitur autem amissum, ut supra exposui, quantum ad potestatem sanctè operandi, nam quia hæc potestas per gratiam datur, ideo per eandem dicitur libertas arbitrii reddi, ergo non tollit gratia libertatem, sed restituit illam, iuxta verbum Christi Ioan. 8. quod idem Concilium allegat, *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis*. & hanc libertatem idem Concilium docuit can. 23. dicens, *Quando homines ita faciunt, quod volunt, ut diuinè seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo preparatur & iubetur, quod volunt*. Et can. 25. propter eandem libertatem dicit, *Baptizatos per Christi gratiam, Christo auxiliante, & cooperante posse, quæ ad salutem pertinent, si fideliter laborare voluerint, adimplere*. Sunt etiam valde notanda verba Concilij Tolletani IV. cap. 65. *Sicut homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens perit, sic vocante se gratia Dei propria mentis conuersione quisque saluatur*, Vbi est exponenda comparatio, tanta enim libertate dicit hominem conuerti per gratiam, quanta contra gratiam peccauit, sicut ergo peccauit cum libertate excludente necessitatem, ita & nunc per gratiam operatur. Idem docet Concilium Valentin. in Gallia tempore Lotharij cap. 6.

17. Rationes ad hanc veritatem confirmandam sunt ferè generales de libertate arbitrii quæ cum proportionem sunt applicandæ. Primò & quasi à priori, quia gratia quantumuis efficax non destruit naturam, sed perficit, ergo non tollit vsum naturalis libertatis, sed perficit. Secunda, quia gratia dat posse operari si homo velit, & iuuat ad operandum, quando homo vult: ex neutro autem sequitur ablatio libertatis, imò ut verè iuuat, oportet, ut illam non auferat. Tertia à posteriori, quia alias

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

homo esset incapax præceptorum, & auxiliorum supernaturalium, & meriti, ac mercedis, &c. iuxta quam rationem considerandum est, licet absolute loquendo non implicet contradictionem, Deum per aliquam motionem præuiam necessitare voluntatem humanam, nihilominus id repugnare, si seruanda sunt proprietates moralium actuum, quas de facto, & secundum fidem Deus obseruat. Vnde quoad hoc error Caluini contradictionem inboluit, præterquam quòd impiè etiam loquitur contra diuinam bonitatem. Declaratur & probatur, nam in primis ille hæreticus non solum asserit Deum per motionem gratiæ necessitare voluntatem nostram ad actus bonos, sed etiam per alias motiones similes necessitatem inferre ad actus prauos, etiam intrinsecè malos: hoc autem impium est, & contra diuinam bonitatem, & sapientiam, & ita ex hoc capite inuoluit omnimodam repugnantiam, quia repugnat Deum non prudentissimè & honestissimè operari. Deinde constat ex Scripturis actus nostros ita fieri à nobis, ut possint prudenter præcipi & prohiberi, quantum est ex parte modi operandi nostri: nam de facto præcipiuntur & prohibentur à Deo, si autem Deus necessitaret homines ad hos actus, inepta esset talis prohibitio, vel præceptio: ergo cum hac proprietate etiam repugnat illa necessitas. Simile est de ratione meriti & demeriti, præmij & supplicij, quid enim magis iniustum, quam necessitare hominem ad aliquid faciendum, & postea eum punire, quia id facit: & similiter cessaret ratio præmij, si homo nihil de sua libertate in illo promerendo adhiberet, ideoque non posset Deus per iudicium verum, seu tanquam iudex causas hominum, ut sic dicam, terminare, sed solum per potentiam, & absolutum dominium. Docet autem Scriptura Deum longè aliter providere hominibus, cum diuina: ergo prouidentia repugnat illa necessitas. quæ argumenta & similia ex sacris litteris copiose locupletat Augustinus libro de gratia & libero arbitrio.

Fundamentum autem Caluini non eodem modo soluitur à Catholicis, aliqui enim putantillationem inficiari neminem posse, & ideo posteriorem partem de auxilio physico prædeterminante falsam esse putant, quapropter ad iudicandum in quo Caluinus quoad suum fundamentum errauerit, quid sit auxilium efficax, & in quo eius efficacitas consistat, & præsertim an physicè prædeterminet voluntatem, diligenter inuestigandum est.

C A P I T V L U M V.

Virum auxilium efficax sit excitans, seu in aliqua excitatione positum, præsertim iuxta mentem Augustini.

R Eiectis hæreticis, superest controuersia cum Scholasticis, quæ in hoc maxime posita est, ut declarem, quid addat auxilium efficax ultra Auxilium sufficiens. Et quoniam ex dictis in præcedenti libro constat, auxilium sufficiens, generatim loquendo, actu dari per auxilia excitantia, primum omnium inquirendum proponimus, an infra latitudinem auxilij excitantis detur aliquid verè efficax, & à sufficiente distinctum. In quo puncto vna opinio est, auxilia excitantia intra suum ordinem

Auxilium
adiuans
quale sit,

ordinem contenta non posse esse efficaciam, sed tantum sufficientiam, necessariumque esse, addi illis auxilium aliquod gratia adiuuans ut efficacia fiant. Quale autem sit hoc auxilium adiuuans, in quo efficacia auxilij consistit, duobus modis iuxta duas opiniones explicatur. Prima dicit, illud auxilium adiuuans esse simultaneum, seu concomitans, quia non putat dari auxilium adiuuans prauum, sed re vera nisi hoc amplius explicetur, non satis est ad saluandum auxilium efficax prauum, quod faciat nos velle: nam auxilium adiuuans simultaneum, licet nobiscum faciat velle, & ad hoc sit efficax, non tamen facit nos velle, efficaciter inducendo voluntatem, ut in capite primo libri precedentis explicatum est.

2.
Distinguitur
auxilium
adiuans in
preueniens
& simultaneum.

Propter hoc ergo altera opinio, quam moderni Thomistae nunc communiter defendunt, distinguit duplex auxilium adiuuans, scilicet prauum, & simultaneum, dicitque efficax prauum, quia excitans auxilium non est efficax, ut supponitur, & solum auxilium adiuuans concomitans non dat efficacitatem prauam, sed simultaneam, quae non satis est ad saluandum auxilium prauum efficax, de quo tractamus; ergo efficacia hac ponenda est in auxilio aliquo adiuuante prauo. Primum autem principium, in quo istae opiniones conueniunt, scilicet auxilium in suo ordine listens non esse efficax iuxta mentem doctorum auctorum probari potest, quia auxilium prauum simpliciter efficax debet infallibiliter habere effectum liberi consensus voluntatis excitatae, sed auxilium praecise excitans non potest infallibiliter habere talem effectum; ergo non potest esse efficax; ergo. Maior supponitur ex dictis in primo capite huius & precedentis libri. Minor probatur primo ex Concilio Tridentino sess. 6. capite 5. & can. 4. absolute, ac proinde generaliter definiente, posse voluntatem his excitationibus, id est, illuminationibus & inspirationibus resistere. Secundò, quia auxilium excitans nunquam potest habere dictum effectum, si ne auxilio adiuuante; ergo non potest esse efficax sine illo. Tertiò, quia auxilium excitans non praedeterminat voluntatem ad vnum; ergo non est efficax.

3.
Assertio.

Nihilominus assero auxilium efficax prauum ordinem naturae consensum liberum voluntatis esse quoddam auxilium excitans, ita ut auxilium excitans in genere sumptum abstrahat à sufficiente & efficaci, & in illa diuidi possit tanquam in membra distincta intra latitudinem auxilij excitantis. hanc assertionem tenent omnes auctores, qui admittunt auxilium efficax prauum, & physicam praedeterminationem negant, ut infra videbimus. Eamque ex doctrina Augustini sic colligo: Vocatio Dei est gratia excitans, sed vocatio aliqua non est tantum sufficiens, sed etiam efficax, ideoque de se vocatio abstrahit à sufficiente & efficaci; ergo similiter gratia excitans abstrahit à sufficiente, & efficaci, daturque aliquod auxilium excitans & efficax: consequentia evidens est, maior etiam nota est, vel ex ipso nomine vocationis, nam per vocationem mens excitatur. Vnde Conc. Trid. sess. 6. c. 5. exordium salutis dicit sumi à vocatione, qua sine meritis homines vocantur, ut qui per peccata a Deo auersi erant; per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, disponantur. incipit ergo vocatio ab excitante gratia, & in illa maxime consistit: vnde capite 6. subiungit; disponantur autem ad ipsam iustitiam dum excitati diuina gratia & adiuti fidem ex auditu concipientes, &c. Idem docuit Augustinus dicta quaestione secundo libro prima ad Simplicianum in fine, dicens, Quis potest crede-

Concil. Trid.

Vocatio ab
excitante
gratia.

August.

re nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur. Tactus autem cordis per gratiam excitantem fit; ergo secundum Augustinum vocatio est gratia excitans. Aquea Prosper libro secundo de vocatione gent. capite 26. varios modos recenset. quibus Deus hominem praenit, ac praeparat voluntatem, ut diuinis, inquit, excitata praesidiis diuino in se cooperetur operi. Subdit inferius, ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat primam sibi recipit & simulam deorum suorum, praeparat voluntatem. Ex mente ergo horum Patrum vocatio fit per gratiam excitantem, per quam etiam voluntas à Domino praeparatur.

Superest ergo, ut minorem propositionem, in qua est rationis vis, ex doctrina Augustini ostendamus: multa enim sunt apud illum loca, in quibus duas vocationes distinguit, quarum altera sufficiens tantum, altera etiam efficax est, quod licet sub his terminis forte non dicatur ab Augustino per definitiones, nihilominus res eadem explicatur. Insignis locus est in libro 1. ad Simplicianum quaest. 2. circa medium, ubi primum inquit, quia non praecedit voluntas bonae vocationem, sed vocatio bonae voluntatem, propterea vocanti Deo tribuitur, quod vult voluntas, nobis vero tribui non potest, quod vocamus. Vnde infer sententiam in hac materia valde notandam, non igitur ideo dictum esse putandum est, non igitur voluntas esse praecedentem, quia volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipsi quod volumus, sed ideo petimus, quia sunt eius vocatione non volumus. Ex qua sententia primum argumentum sumimus: nostrum enim velle bonum maxime tribuitur soli Deo propter gratiam efficacem, etiam ex doctrina aliorum auctorum; at vero secundum Augustinum, nostrum bonum velle non tribuitur soli Deo propter adiutorium, sed propter vocationem, ac subinde propter gratiam excitantem; ergo excitans gratia & vocatio aliqua, secundum Augustinum, est auxilium efficax: vnde statim Augustinus hanc vocationem dicit esse efficacem bonae voluntatis. Deinde vero obicit, si vocatio ista ita est efficax, ut omnes eam vocati sequantur, quomodo verum est. Multi sunt vocati, pauci vero electi: & in summa respondet, non omnem vocationem esse ita efficacem bonae voluntatis, sed quandam esse quam vocati non sequuntur, utique quam quis possint, & illa de se est sufficiens alia est, quam vocati sequuntur, & hac est efficax bonae voluntatis, & hoc est quod ait, igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui sequi sunt vocationem: ad alios autem vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, qua moueri non possint, ut eam capere apti essent, vocati quidem dici poterunt, sed non electi. Distinguit ergo ipsam vocationem in sufficientem & efficacem, quamuis alijs nominibus illas designat, nam vnā vocationem dicit esse cū vocatus non se accommodat, nec obtemperat, & hac rem dicit esse sufficientem, aliam dicit esse quae commodo praeparatur, quo ei, qui vocatur, aptum est ut vocationem sequatur, & vocantem non respuat, & hac est efficax, quia nunquam effectu suo frustratur. Vnde in fine quaestionis excitanti gratia expresse tribuit hanc efficaciam, dicens; igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quando quidem nec velle, nec currere, nisi eo mouente atque excitante, poterimus.

Alter locus Augustini est libro de Praedestinatione. Sancti. in quo sapissimè efficaciam diuinae gratiae, qua electionem, & praedestinationem Sanctorum Deus exequitur, in excitante gratia maxime ponit, quatenus per eam electos suos ita vocat;

vocat, ut faciant quod Deus intendit, quod est proprium munus efficacis gratiæ. Sic cap. 2. ait, *Operatur Deus fidem nostram, in quo modo agens in cordibus nostris, ut credamus.* Quis autem sit ille mirus modus, exponit cap. 8. dicens, *Omnia, ut dicitur Veritas, qui audiuit à Patre, & dicitur, venit, valde remotè est sensibus armis ex schola, in qua Pater auditur, & docet ut veniat ad Christum, & infra, Multos venire videmus ad Christum, sed ubi, aut quomodo à Patre audierint, hoc non videmus, nimirum gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigat? & eodem modo nos dicere possumus gratiam esse excitantem quis ambigat? quid enim est doctrina interior Spiritus sancti, nisi eius illuminatio & inspiratio, quibus ipse tangit hominum corda, illaque excitat? Est ergo illa gratia excitans; efficaciam autem eius declarat Augustinus, dicens, *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus diuinæ largitate tribuitur, à nullo duro corde repletur, ideo enim tribuitur, ut cordis duritia penitus auferatur.* Alludens ad illud Ezechielis 26. *Auferam cor lapideum de carne vestra, dabo vobis cor carneum.* Merito ergo gratiam illam efficacem appellamus, cum ita cor hominis tangat, ut etiam induratum illi non resistat, sed duritiam eius auferat. Eandem verò esse vocationem efficacem in eodem lib. cap. 16. declarat Augustinus, dicens, *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos ut eos faciat membra prædestinati vnicui filij sui, non ea occasione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, ipsi vocati iudeis & Græcis, &c. & infra, Sic enim ait ipsi vocati ut illis ostenderet non vocatos, sciens esse quandam vocationem dorum, qui secundum propositum vocati sunt, &c. quam etiam ait esse significatam à Paulo ad Roman. 9. dicente, non ex operibus, sed ex vocatione sit rediens: ecce efficaciam, ideoque de eadem vocatione intelligit aliam sententiam Pauli ad Roman. 11. sine penitentia sunt dona & vocatio Dei, id est, inquit, sine mutatione stabiliter fixa sunt ad hanc vocationem, in qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei. & infra præuenit enim misericordia Dei quia sic vocatus est ut crederet. eandemque appellat vocationem ex proposito in cap. 18. quia procedit ex definito proposito Dei, & est medium efficax quo illud impletur & de illa tandem exponit in cap. 20. quod de purpuraria dicitur Act. 16. Deus aperuit sensum eius, &c. dicens, *Sic enim vocatur ut crederet.***

Augu.

Ezech. 26.

Declaratur
votatio ef-
ficax.

6. Argumen-
tum tertium

Adhuc de-
claratur ef-
ficacia vo-
cationis.

Distin-
guitur vocatio
in vocatio-
nem electio-
nem, &
vocationem ef-

Argumentum
tertium

Argumentum
tertium

Argumentum
tertium

Argumentum
tertium

Argumentum
tertium

Argumentum
tertium

Argumentum
tertium

Argumentum
tertium

De quo est quartum, & optimum testimonium in epist. 107. ad Vitalem, ubi tractans eandem sententiam dicit, non ideo preparare Deum voluntatem, quia legem, atque doctrinam libero eius adhibet arbitrio, sed quia vocatione illa ista atque secreta, sic enim agit sensum, ut etiam accomodat assensum. & inferius ait, quomodo dicitur quod per legem Dei atque doctrinam scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit preparatur voluntas à Domino, ac non potius per occultam inspirationem gratia Dei, &c. Quid autem est occulta inspiratio? nisi quædam occulta excitatio: illa ergo preparatio sicut sufficienter fit per quandam communem excitationem, ita efficaciter fit per aliam, quam Augustinus vocat occultam, altam, atque secretam, quam etiam alijs locis, præsertim in lib. de grat. Christi cap. 13. & 14. internam doctrinam appellat, quæ sine dubio ad gratiam excitantem pertinet, ut in lib. 3. visum est.

7. Argumen-
tum quartum

8. Argumen-
tum quintum

Quintò facit quod Augustinus lib. 33. quæstionum qu. 88. vocationi diuinæ tribuit quod sit illa efficax gratia, per quam Deus ipsum velle operatur in nobis, dixerat enim Deum non misereri peccatoris, nisi voluntas præcesserit, & quoniam velle quisque non potest, nisi admonitus & vocatus, siue intrinsecus, ubi nullus hominum videt, siue extrinsecus per sermonem sonantem, vel alia signa visibilia efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis, & quia quidam vocati veniunt, alij non veniunt, subiungit eos, qui veniunt, sibi tantum id tribuere: qui autem veniunt, non sibi, sed vocationi, per quam nimirum preparata est eorum voluntas à Domino, ut ipsemet Augustinus recognoscendo locum hunc declarauit i. Retract. cap. 26. & ideo in priori quæstione concludit, hæc autem vocatio quæ siue in singulis hominibus, siue in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur alia & profundæ ordinationis est.

9. Argumen-
tum sextum

Sextus locus fit ex lib. de grat. & lib. arbit. cap. 5. ubi gratiam efficacem datam à Paulo ut conuerteretur, ponit in vocatione, dicens, ut autem de celo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia erat sola, nam merita erant magna, sed mala. Ex qua ratione intelligitur illam dictionem exclusionem, sola, non excludere liberam cooperationem Pauli in sua conuersione, nam proximè antea dixerat illam gratiam non tollere propriam voluntatem, & iterum, nec ipse solus, nec gratia Dei sola, sed gratia Dei cum illo. in prioribus ergo verbis excludit illa particula omne voluntatis meritum, nam hoc est quod ibi contra Pelagianos ostendit, nimirum conuersionem non esse ex meritis, & ideo ait præcessisse in Paulo merita, sed mala, quæ non poterant gratiam mereri, sed potius indignationem, & ideo talis vocatio gratia sola fit, id est, nullius meriti merces; ergo si illa vocatio magna fuit, & efficacissima, ut Augustinus dicit, fuit etiam gratia, seu auxilium non tantum sufficiens, sed etiam efficax: ergo apud Augustinum non solum gratia adiuuans, pro ut ab excitante distinguitur, sed etiam gratia excitans, qualis est vocatio, gratia, seu auxilium efficax, & hæc loca sunt valde notanda tanquam capitalia in hac materia, præsertim, quia etiam auctores contrariæ sententiæ, cum quibus disputamus ad probandum auxilium efficax, illis maxime vtuntur.

Ex quibus & similibus locis formari possunt plures rationes, quibus in doctrina Augustini intentum conuinci videtur, vna est, quia illa est gratia efficax, per quam Deus facit ut velimus, & ut faciamus, ut latè docet idem Augustinus libro de grat. & liber. arbit. capite 14. 16. & 17. Sed gratia per quam Deus facit ut faciamus, est vocatio; ergo talis vocatio est gratia efficax, ac subinde excitans, minor sumitur ex eodem Augustino eodem libro de grat. & libero arbit. capite 16. dicente, *Certum est nos facere cum*

10. Ratio pro-
D. Augusti-
no.

Augu.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

Dd 3

facimus,

facimus, sed ille facit ut faciamus, praebens vires efficacissimas voluntati. ubi expendenda est particula, vires, significat enim non actionem, sed virtutem agendi, & hanc dicit esse efficacissimam, & per gratiam praeuenientem & excitantem dari, ut statim explicat istis verbis, certum est nos seruare mandata cum volumus, sed quia preparatur voluntas à Domino. & iterum, Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, preparatur voluntas à Domino, de quo dictum est, à Domino gressus eius dirigantur, & viam eius volet, de quo dictum est, Deus autem est, qui operatur in vobis & velle. Docet autem idem Augustinus lib. 83. quaestio- num q. 68. ut iam retuli, vocationem esse per quam Deus hæc omnia facit, dicens, quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus & vocatus, & c. efficitur ut & ipsum velle Deus operetur in nobis. Idem tradit idem Augustinus tract. 26. in Ioann. & serm. 2. de verb. Apost. & de prædest. Sancti. cap. 19. illa voca- tione (ait) quæ sine penitentia est, id proflus agitur & peragitur, ut credamus.

10.

Similis ratio est, quia gratia efficax est quam Deus confert prædestinatis ut saluentur, sed me- dium potissimum quo saluantur prædestinati, est quædam vocatio, quam Augustinus vocat ex pro- posito; ergo illa est gratia efficax; consequentia est clara. Maior est Augustini lib. de bonor. persever. cap. 14. ubi definit prædestinationem Sanctorum, dicens, Nihil aliud est, quam præscientia & preparatio be- neficiorum Dei, quibus efficacissime liberantur, quicunque libe- rantur. ubi notanda est particula, certissime. nam per illam significare voluit Augustinus efficaciam me- diorum, ut est notum in eius doctrina. Minor verò colligitur ex eodem capite, sic enim statim subin- fert, Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturæ alteri minus intelligentia, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant quæ verba propter gratiam excitantem & con- gruenter manifeste sunt dicta. Item de corrept. & grat. cap. 7. & sequentibus, ubi latè declarat, Deū dare prædestinatis perseverantiam per vocatio- nem secundum propositum suum, quam qui ac- ciipiunt, infallibiliter perseverant, ac proinde effi- caciter iuuantur.

11
Alia ratio.

Alia denique ratio esse potest, quia Deus dat ef- ficacem gratiam preparando voluntatem, ut sæpe in citatis locis Augustinus affirmat, & in Enchirid. capite 32. de don. perseverantiæ capite 8. primâ Retract. capite 22. & libro 2. capite 4. Sed Deus præ- parat voluntatem per gratiam praeuenientem, quæ sit vocatio congrua, ut eisdem locis idem Sanctus docet, præsertim dicta quæst. secundo ad Simp- lician. Ergo illa eadem vocatio est gratia efficax excitans. Consequentia est clara in eadem senten- tia Augustini. Tandem possumus hoc concludere ex principiis suprà politis, quia gratia efficax præuia, seu quæ facit, ut velimus, non est auxi- lium concomitans, seu concursus, aut influxus simultaneus; ergo esse debet gratia excitans. An- tecedens probatur, tum quia per influxum simul- tanum non facit Deus ut velimus, sed ipsum velle facit nobiscum: per auxilium autem efficax facit ut velimus, tum quia proprium auxilium efficax, de quo tractamus, fit à Deo solo in no- bis sine nobis, utique liberè cooperantibus: auxi- lium autem concomitans non fit in nobis sine libera cooperatione nostra; tum denique, quia auxilium efficax præuium datur, ut præparet vo- luntatem, concomitans verò, ut adiuuet præpara- tam; ergo propria gratia efficax non est ipse si- multaneus concursus, seu influxus. Consequen- tia verò prima probatur, quia inter actuales gra- tias nulla est, quam Deus in nobis sine nobis ef- ficiat, nisi gratia excitans, ut in libro 3. probatum est, & in sequentibus probandum est latius, hoc

enim solum ferè superest in hoc libro examina- dum.

Ad fundamentum autem prioris sententiae, negamus minorem, nam dari potest aliqua voca- tio, seu gratia excitans, ex qua infallibiliter se- quatur liber consensus. & ad primam probatio- nem ex Concilio Tridentino negatur consequen- tia, statenim voluntatem posse resistere, & in- fallibiliter non resistere: quomodo autem hæc duo coniungantur, in sequentibus inquirendum est, nam hoc opus & hic labor est. Ad secundam probationem negatur consequentia, nam voca- tio, aut excitatio non dicitur efficax, quia sola sine auxilio adiuuante faciat consensum, hoc enim in illa sententia necessarium, aut verum est, quia utrumque auxilium utique excitans, & adiuuans simul necessarium est, ut actus superna- turalis fiat, unde in superiori libro etiam de auxi- lio vndique sufficiente diximus debere utrum- que auxilium aliquo modo includere; ergo mul- to magis efficax. Non ergo dicitur auxilium ex- citans, quia solum faciat, sed quia in suo ordine tale est ut infallibiliter consequatur effectum, ac subinde, ut infallibiliter habeat coniunctum, vel secum afferat necessarium auxilium adiuuans. Unde autem hoc habere possit aliquod auxilium excitans, postea videbimus, ut iam dixi. Ad ter- tium denique negatur consequentia, quia effi- cacia auxilij non consistit in prædeterminatione, ut dicemus.

CAPUT VI.

*An efficax auxilium consistat in motione,
vel effectione, de se & natura sua præ-
determinante physica & voluntatem
humanam ad unum actum,
& exercitium eius.*

Diximus auxilium efficax consistere in qua- dam efficaci vocatione. aggredimur iam ex- ponere in quo consistat eius efficacia, vel quomodo fiat, quidve addat communi vocatio- ni. In quo puncto duæ sunt opiniones celebres, vna de physica prædeterminatione, altera de con- grua vocatione, de quibus suo ordine dicendum est: ut autem circa priorem clarè procedamus, ne- cessarium est accuratè prius explicare terminos ut sine confusione, vel æquivocatione omnia puncta, quæ in hac sententia occurrunt, tractare possimus. Et in primis verbum determinandi, à quo verbum prædeterminandi compositum est, declarandum est, deinde quid addat illa particula præ, & consequen- ter quid nomine prædeterminationis significetur, vel quomplex illa esse possit, aperiemus. Determina- re igitur iuxta primam vocis significationem idem dicitur, est, quod terminum rei designare, aut constituere, siue id exterius fiat, ut in agris & regionibus fieri solet, siue per sententiam, vel decretum, siue dicitur iudex determinare causam, vel superior deter- minare quid sit agendum suo utique præcepto. Hinc ergo, quia voluntas de se indifferens est, ad ea, ad quæ est libera, determinari dicitur, eam ad alteram partem inclinatur, vel definitur, & quando id fit cum aliqua antecessione, dicitur præ- determinatio. Vtrumque autem multis modis fieri potest, quos distinguere oportet & omnia quæ ad præsentem causam non faciunt, clarè procedamus.

Duobus